

colarum industria accederet. Univerſa, quæ meridiem aſpici-
montibus eſt aſpera; a ſeptentrione in planiciem extenſa, ea
parte excepta, qua in media inſula, ut diximus, promonto-
rium ſe mari inſinuat, cujus inſima, ac declivia ſuo circuitu
civitas occupat; amplis laxiſque ſuburbiiſ diſtincta, incolarum
numero ea tempeſtate multum referta. Duæ arces in aſperio-
ribus jugis montis ſitæ, urbem ad omnes impetus arcendos
opportune muniunt, longiſſimoque tractu circumquaque omnia
deſpectant, ut bellicarum machinarum vi terra, marique ad
copias, claſſeſque ſubmovendas mirum in modum valeant. In
opposita ad meridiem regione Angelocaltrum arduo, atque edi-
tione loco ſitum eſt, ad quod difficiſſimus acceſſus patet. Spon-
te Corcyraei ab hinc ducentos triginta ferme annos in Vene-
torum poteſtatem conceſſere; qui inſulam ſitus opportunitate,
portuum numero, ac maritimis rebus valde accommodatam
ſummo ſtudio munire, ac tueri adnixa ſunt.

Cum igitur Suleimanus terreſtribus, maritimisque copiis Cor-
cyram adoriri ſtatuiffent, præmiſſa claſſe, ipſe ab Aulone ca-
ſtra movens, Eante, quod modo *Vagiufſam* vocant incolæ,
amne ſuperato, ad Communitiam Buthroti regionis perſpi-
cuis, atque uberrimis fontibus notam, pridie nonas ſeptem-
bris pervenit. Buthroti præfectus Corcyra ortus, vi non ex-
pectata, ſponte oblatis clavibus, oppidum Suleimano tradidit,
quem aurea veſte donatum dimiſit. De expeditione Corcyrae
a Suleimano decreta nuntiis acceptis, bellum cum potentiſſi-
mo hoſte ſuſcipere cum ſibi neceſſe eſſe Senatus animadverte-
ret; licet ea tempeſtate centum triremium, aliorumque navi-
giorum numero claſſem inſtructam teneret; attamen cum ad
tantam moleſ diutius ſuſtinendam Reipublicæ vires minime
ſufficere viderentur, ad ſocietatem cum reliquis Chriſtianis
Principibus ineundam animum adjecit. Sæpius ad eam rem Pau-
lus Summus Pontifex, & Carolus Imperator Patrum animos in-
citaverant; verum ægre adduci potuerant, ut diuturnam, quam
cum Turcis pacem habebant, abrumperent; vel ob ingentia
negotia, quæ mercatores Veneti in eorum ditionibus gerebant,
ex quibus divitiæ non modo privatis, ſed magni proventus,
atque vectigalia Reipublicæ extabant; vel quod primi belli
impetus uno atque eodem tempore multis in locis; nempe in

1537

Buthrotum
a Suleima-
no captum.

Venetorum
proclivatio
ad ſocia-
tem cum
Chriſtianis
Principibus
ineundam.